



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

D[omi]nica 3. Adu[e]ntus. Eua[n]gel. Cu[m] Joha[n]nes audisset. Mat. 11  
Homili[æ] du[æ]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35308**



stimērum ueterascent, Et sicut oportorium mutabis eos, & mutabuntur. De qua mutatione satis dictum est in tertio sermone. Subinde ergo recogitare dilectissimi diem illum magnum aduentus domini, ipsumq; iudicium extremum, uitam uestram in melius emendate, corrigite opera, malas diaboli tentationes superate forti resistentia, pœnitentiam agite de peccatis commissis, eaque fletu & planctu deponite. eo enim eritis in aduentu iustissimi iudicis securiores, quo magis in timore illius prœuenietis acerbitatem. siquidem hic ille est qui uiuos iudicabit & mortuos, hoc est, iustos & iniustos, qui uel ante diem istum morui fuerint nouissimum, uel tunc inter uiuos adhuc erunt superstites, qui etiam sanctos ipsos iudicaturus est & angelos, iustosq; introducturus in uitam æternam, quam idem ipse nobis quoq; largiatur, qui est benedictus in secula, Amen.

## DOMINICA .III.

ADVENTVS,

Euangelium Matth. XI.

Luc. 7



Luc. 7.

**I**N illo tempore: Cū  
autem Iohannes au-  
disset in uinculis opera  
Christi, mittens duos  
de discipulis suis, ait il-  
li: Tu es qui uenturus  
es, an alium expecta-  
mus? Et respondens Ie-  
sus, ait illis: Eūtes renū-  
ciate Iohanni quæ au-  
distis & uidistis. Cæci  
uident, claudi ambulant, leprosi mundantur,



surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Iohanne: Quid existis in desertum uidere? arundinem uento agitatum? Sed quid existis uidere? Hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis uidere? prophetam? Etiam dico uobis, & plus quàm prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit uiam tuam ante te.

Luce. 7.

 Marc. 1.  
 Luce. 7.  
 Malach. 3.  
 Luce. 1.

## HOMILIA PRIMA.

**Q**uia cōtra adulterium Herodis grauitè inuectus erat sanctus Iohannes, inclusus est carceribus. Herodes enim fratris sui Herodiadem uxore sibi iuxerat, teste Marco. Qui dum ita in carceribus tenebatur uinctus, discipuli eius sicut & ante & post hæc uincula sui magistri, plurima ducebantur inuidia magnaq; superbia aduersus Christum: quoniã paulatim iam eius augebat plus quàm Iohannis gloria, unde fiebat ut Christum etiã non uereret esse Messiam. Quod sanctus etiam Hieronymus ex gemina nititur probare ratione, namq; & ad dñm uenerunt, dicentes: Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Sed & Iohannes refert Christi discipulos uenisse ad Iohannem, eiq; dixisse: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Neq; multo post idem euangelista ait, quoniã Iesus plures discipulos faciebat quàm Iohannes. Cũ ergo iam uiduæ filiũ Christus in Naim ex morte resuscitasset, eaq; fratim p̄ uniuersam Iudæã fama disspgeret, uenerunt ad eum discipuli Iohannis, idipm̄ illi ex inuidia adnũciantes, rati suũ magistrũ & maximũ esse decere & potentissimũ. Hæc

Marc. 6.

Hierony.

Matth. 9.

Johan. 3.

Luce. 7.

d ij



- iam quando discipulis suis referentibus cognouisset facta Christi Iohannes, duos ex illis misit ad Iesum, ut hodiernum habet & testatur euangelium, in quo Iohannis continetur interrogatio, laus item & commendatio quã Iohãni attribuitur Christ<sup>o</sup>. 2. Deinde, Iohãnes tũ ueritatis, tũ saluberrimæ suæ doctrinæ causa ita captiuus, duos ex suis misit ad Christũ, quærens: Tu es qui uenturus es? an alium expectamus? Et hanc interrogationem sunt ex doctoribus sane quidam qui admirentur. Ille enim Christũ in utero adhuc matris delitescens agnouerat, iuxta illud Elizabethæ uerbum: Ecce ut facta est uox salutatiõis tuæ in aurib<sup>9</sup> meis, exultauit in gaudio infans in utero meo. Cui reuelauerat spiritus sanctus, super quem uideris spiritum descendente & manente super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Ille etiam Iohãnes Christum ab eo baptizari uolentem cum prohiberet, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? baptizans tamen eum, uidit cælos apertos & spiritum sanctum descendente sicut columbam, audiuit in super uocem patris: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Hic etiam de Christo dixerat: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Testimonium quoque iam dederat ille uidisse se spũm sanctum super eũ dum baptizaret ip̄m. Venientibus etiam ad se discipulis & multum conuenerentibus, quod Christus tam multos baptizaret, idem respondit: Illum oportet crescere, me autem minui. Ille inquam multis iam modis Christo testimonium dederat, esse eũ qui expectatus tot fuisset retro seculis, Messiam, sicut & Iohãnes in euangelij sui statim exordio, & apud eũdem Christus dicit, Iohannem testimonium dedisse ueritati. Cum itaq; Iohannes etiamnum puer, imò ex ipso etiam matris utero Christum agnouerit esse Messiam, priusquam domin<sup>9</sup> miracula facere cœpisset, quid est quod nunc tandem interrogat, uel ut ignarus, uel certe ut dubius?

¶ Ad hanc quæstionem uno uelut ore omnes respondent doctores, quoniam Iohannes nihil minus egerit quàm quod dubitãrit Christũ eẽ Messiam, quandoquidẽ eũ Christus ipse post hanc statim interrogationem adeo commendauit, ut etiam plus quàm prophetam diceret, & an



gelum suum noceret. Fieri itaq; nō potuit, ut hęc interrogatio ex aliqua ueniret dubitatiōe super Christo, cui tam certum & efficax ille semper dedit testimonium. sed aliud est, quod hac sibi interrogatiōe uoluit Iohannes, idēq; nunc nobis occurrit per scrutādum. 3. Ex prędictis iam duobus articulis sequitur, quia non Iohannes, sed Iohannis discipuli de Christo nonnihil ambigebant, omnē hęc interrogatiōem discipulis ipsis bono & commo- do factam esse. Nam cum plus Iohanni tribuebant, q̄ pri- uato cuius homini, & tamen Iohānes de uenturo semp loquebat & docebat, Alius ueniet post me &c. sicut die *Iohan. 16.* ab hinc octauo audietis, baptizabat etiam in nomine tan- tum uenturi, credebant illi quidem Iohanni, sed tamen non credebant Iesum eum esse quē uenturum subinde promiserat Iohānes. siquidem in hac erant opinione, ut persuasum haberent, Christū in maiori apparatu lōgeq; splendidiori pompa esse uenturū: quod ut olim, ita nunc quoq; Iudæi pleriq; omnes mordicus sentiunt & tenent. Quicquid itaq; eis de Christo dixerat Iohannes, non ad- ducebant ut crederent. unde nō immerito ipsos ad Chri- stū ablegauit, ut qui uerbis Iohānis de Christo credere re- cusabāt, maximis illis Christi crederēt operibus, sicq; di- scipulos ille suos placide & humaniter ad Christum pro- uocaret sequendum, qui iam nimium uelut in uerba eius iurati, ex suo pendebant magistro. Ideoq; & interroga- bant: Tu es q̄ uenturus es? an aliū expectamus? Quo sane innuere etiam tunc uoluit Iohannes, fore ut alius aliqñ expectaret, quem nūc q̄q; obstinata Iudæorū gens præsto- lat, sed falsa omni sua expectatiōe. Antichristum enim pro Messia recipient, quod iam olim etiam Christus præ- dixerat: Ego ueni in nomine patris mei, & non me rece- *Iohan. 8.* pistis. ueniet alius in nomine suo, hūc recipietis. Et hęc sane sententia est Chylostomi, Augustini, Theophyla- *Augusti. Ambrosi.* cti. Sanctus uero Ambrosius ex scripturis etiā pbat, nō omnem interrogatiōem semper aut ex ignorātia uenire aut dubitatiōe, sed nō raro ex pia & tenerrima charita- te in eruditiōem aliorū. Sic de Lazaro Christus interroga- *Iohan. 11.* uit, ubi posuistis eū? non qd̄ ille ignoraret, ubinam sepul- tus foret Lazarus, sed ut p̄ hoc audietes ad fidē instruerē-



tur, quando iam Lazari ex sepulchro uiderent resurgente. Ad eundem plane modum hic Iohannes per discipulos suos Christum interrogat, non ut ipse uel ignarus uel dubius, sed ut illi hac ipsa interrogatione occasionem haberent uenire ad Christum, uidentesque miracula eius crederent in illum. Quamuis uerum est, sanctum Hieronymum, Gregorium, & Bedam interrogationem hanc eodem etiam referre, an Christus in propria ipse persona descensus esset in limbum patrum, an suo nomine alium illuc redimendis uinctis missurus, quem ego nunc intellectum omitto.

Grego.  
Hierony.

3. ¶ Ad hanc iam nunc interrogationem Christi sequitur responsio: Ite & renunciate Iohanni, quem uidistis & audistis. Nouerat sane patrum ille, & quem nil lateret, dominus Iohannis animum, unde etiam non respondit: Dicite Iohanni, quoniam ego sum. id ipsum enim si respondisset, poterat interrogantium perturbare adfectum, ut pulchre hic expedit Chrysostomus: eos denique non nihil offendere, ut ait Hieronymus. Non ergo ad uerba respondebat interrogationis, sed tantum signa ob oculos eis ponit & miracula, quae illis loquantur & respondeant, ut sic doctrina sua magis extra omnem esset suspicionem. Quis enim nesciat, testimonium quod ab ipsis datur operibus & factis, longe esse efficacius certiusque eo quod solis praestatur uerbis? Christus autem ea hora, qua ad se discipuli uenerant Iohannis, multos (ut testatur Lucas) sanauerat a morbis & aegritudinibus uariis, a spiritibus immundis, caecis plurimis uisum restituerat. Ad haec itaque opera Christus nuncios illos consideranda prouocabat, dicens: Renunciate Iohanni quem audistis & uidistis. Caeci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt. Haec nimis illa mirabilia admirandi dei opera, & magna per se erant, & efficacia, quae probarent hunc esse illum uenturum, nec alium esse quem expectarent. Hic enim erat ille deus, & per hunc deus mirabilia opera tanta operabatur: unde etiam factum est, ut Christus miracula digitorum diceret dei. siquidem ut nos aliquid monstramus digito, ita miracula deum demonstrat. Quo pertinet illud Christi apud Lucam uerbum: Si in digito dei eicio daemones, profecto uenit in uos regnum dei. Ita & malefici apud Pharaonem dicebant: Digitus dei est hic.

Chryso.  
Hierony.

Luc. 7.

Luc. 11.

Exo. 8.



¶ Digito igitur miraculorum suorum Christus declarat discipulis Iohannis ad se missis, se & deū esse & Messiam illum in lege promissum. Messiam autē tāta operatur: miracula iam olim prædixerat Isaias: Tunc aperient oculi cæcorū, & aures surdorum parebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Vsque adeo hæc evidens fuit diuinitatis Christi comprobatio, eundemq; esse Messiam, eo quod hæc miracula tāta propria faceret potestate.

5. Enumeratis miraculis magnis, ad extremum Christus illud quoq; adiungit, qd superioribus nihilo est inferior, Pauperes euangelizant. Quod uulgo ita fere exponitur, Pauperibus prædicat euangeliū, qd ipsum sane inter præcipua Messie officia Isaias uaticinatus erat, dicēs: Spiritus domini super me, eo quod unxerit me, ad annūciandū mansuetis misit me. Quē pphetæ locū Christus ipse in synagoga Nazareth & legit, & ad se retulit. Poteritq; illud de pauperibus spū intelligi, sicut apud Matthæū ait: Beati pauperes spū, qm ipsorum est regnū cælorū. Vel etiam accipi idē poterit de iis, q diuitiis pauperes sunt. idq; nō male cōtra ipsos discipulos Iohānis, q cū a magistro suo edocti essent de uerturo, putabāt eundē in magno & splēdido mūdi huius uenturū esse apparatu. Et hæc itaq; opinionē erroneā dñs loco Isaiæ inducto uelut clauo fortissimo retrusit, quoniā mansuetis annunciaturus esset.

Quamobrē isti Christū nō ita debebāt uilipendere, quāuis in maxima uenerit humilitate. hæc enim iam enumerata in ppheta Messie tribuunt. Video etiā inter doctores quosdā, q uerba hæc, pauperes euangelizant, pprie & in sua plane forma intelligant, passiuē nimis & transiuiue, nō acquisitiue, quoniā pauperes euangelizant, hoc ē, euāgelice suscipiuntur. Eiusq; sententiæ fuit (ut equidē sentio) Theophylactus, dicēs: Pauperes q euangelizant, intellige uel apostolos euangelium prædicantes. pauperes em̄ erant & piscatores, & ut priuatim, cōtempribiles. uel auditores euangeliij, de cælestibus bonis audientes. Vbi sensus hic foret, qd Christus hic potestati in sinuasset spūalem, in quā pauperculi etiam peccatores à Christo sunt

Isaie. 55.

Isaie. 61.

Lucę. 4.

Matth. 5.

Theoph.



electi. Qui enim animū suum à bonis temporalibus om̄i-  
 bus abdicauerunt, tantum cælestia meditati, euangeliza-  
 ti sunt utiq; & ad euangelium electi, iuxta hanc uocē Pe-  
 rri: Domine, reliquimus omnia & secuti sumus te. Et ij ni-  
 mis fratres erāt uere euangelici, nō ut isti nostrates ore  
 tenu tantum Christiani, in ore solummodo circumferē-  
 tes euangelium, & laceris pannis, libris nimirum, operi-  
 bus autem ne minimo quidem digitulo euangelium at-  
 tingūt, ut recte dixerit in Canonica sua Iacobus: Nonne  
 deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæ  
 redes regni, quod repromisit deus diligentibus se? Ut  
 tandem hæc intelligant, sat est nos hic discere iuxta san-  
 ctū Hieronymū, nullam inter nobiles & ignobiles, inter  
 diuites & egenos in prædicatione esse debere distāiam,  
 nec prædicatoris esse, ut blandiatur diuitibus ueritatem  
 celans, cū tamen omnibus in cōmune dicere debeat, quæ  
 & diuinam gloriā & animarū contingūt felicitatē. Verū  
 est sane, q̄niam pauperibus magis q̄ diuitibus euangeliū  
 adnunciatur, eo quōd ad illud audiendum magis appro-  
 perent, cum interim diuites elati sint, suoq; contumaci fa-  
 stu intumescant inflati, putantes se satis sapere, nulliusq;  
 proinde indigere prædicatione, dum emere, uendere, fal-  
 lere, & hoibus simplicibus imponere pulchre nōrint, ne-  
 q; interim Paulum obseruant dicentem: Sapientia huius  
 mūdi, stultitia est coram deo. ideoq; non audiūt libenter  
 prædicatores euangelicos, ueq; assentatores suos, & istos  
 qui teneras aures mordaci radere uero uerent, blandos  
 adulatores, prædicatores carnis, quos boni omnes & Ec-  
 clesiastici & ex uulgo odere, eos inq; tenelli tm̄, & q nunc  
 maximi habentur, mercatores audiunt & ciues.

3. ¶ Subiūgit ad hæc dominus: Et beatus est, qui nō fu-  
 erit scādalizatus in me. Quibus ille uerbis rursus suam de-  
 clarat diuinitatem. nisi enim deus esset, beati non forēt,  
 qui in eo non offenderent. Sanctus Chrysostomus tamē  
 uult Christū h̄sce uerbis latenter terigisse, & ut Hierony-  
 mus ait, percussisse internūcios Iohānis, eosq; occulte argu-  
 endo momordisse. Nam cū illi scandalū propter ip̄m pa-  
 terent, passionē mentis eorū ita detexit, ut nullus huius  
 rei testis esse posset, sed cōscientiæ ipsorū, q sibiipsis con-

Matth. 19

Jacob. 2

Hierony.  
sup Mat.

1. Cor. 13.

Chrysost.  
Hierony.



sc̄herant, res tota relicta sit, quantum in ipso scandalum paterentur. Non tamen inepte intelligi potest etiam de generali illo scandalo, q̄d omnes passuros Christus una nocte prædixit. Et sic, iuxta Gregorium, illis uerbis pa- Matth. 26  
Gregori⁹.  
lām hic mortem suam contumeliosam cōfessus est, quasi diceret: Mirabilia quidem operor, sed contemptum pati non recuso. Multos autem in Christo scandalum passuros etiam Symeon ille pater prædixerat: Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Et Petrus de Christo loquens: Vobis, inquit, credentibus honor, non credentibus Lucę. 2.  
1. Petri. 2 autem lapis offensionis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, ijs qui offendunt uerbo, nec credunt, in quo & positi sunt. Quapropter quamuis promptum, & expeditum tunc omnibus fuerit Christum sequi, tanta miracula operantem, eundem tamen sue humanitatis imbecillitatem ostendentem exhorruerunt multi, retro cedentes & offensi in illa summa Christi humilitate, ubi cogitare maḡ debebant, quantum malum sit peccatū, cuius gratia filium quoq; dei mori oportebat. Expendere Bernard. debebāt præterea immensam illam charitatem dei erga genus humanum, qui suo non parcens filio unigenito, eundem tradidit in amarissimam passionem & mortem crucis, ut sic miserrimo consuleretur homini, illeq; Johan. 3 redimeretur à peccato. Cogitare debebant, non sine magno mysterio filium dei sese in terras humiliter demisisse carnemq; sumpsisse, ut hominem reduceret, & reuocaret ad cælum cælestemq; illam & æternam felicitatem. Quam nobis quoq; concedat Christus Iesus in secula benedictus, Amen.

## HOMILIA .II.

*In tertia dominica Aduentus.*

**P**Rius quàm textum adgrediar euangelicum, q̄a hæc tertia est dominica Aduentus, uobis edisseram, q̄s nam in ecclesia hodie recolatur aduērus. Dico itaq;



- omni Christiano diligenter hodie esse recolēdū, quomodo eū Christus in morte sua ꝑcipue sit iudicaturus, sicut in die nouissimo oēs in uniuersum iudicabit: idꝑ ita esse ex scripturis palām faciemus. Ad Hebræos enim Paulus: **Hebr. 9.** Omnibus, inquit hominibus statutū est semel mori, post hoc autem iudicium. Vnde satis patet, iudicium omnium hominū morti succedere. Quod & apud Matthæū Christus in parabola docuit, ubi eum qui sine ueste nuptiali in conuiuium tamen irruerat, iubet in tenebras proijci exteriores, quod sane nō in uniuersali iudicio, sed particulari factum agnoscitur. Sed & Iohannes cum de clamore sanctorum loquitur pro uindicta sanguinis sui, ait: **Apoca. 6.** datę sunt illis singulę stolę albę. Atꝑ hoc quidem ante diem factum est nouissimum, cum eos agnosceret deus uita dignos æterna, quapropter proprie Christus dixit: Patet omne iudicium dedit filio. Vbi particulam hęc, omne, nota diligentius: quia sic nō unum tantum extremum illud, sed omne iudicium dedit filio. Quō facit uulgare illud dictum: Qualem te, dum uocat, inuenit deus, talē & iudicabit. Quę sane sancti etiam Cyprini martyris sententia est, cum ait: Nō te uocat dominus per mortem ex hoc seculo? quare & pariter non iudicaret te exeuntem ex hac uita? Sed & sanctus Hieronymus super Ioēlem dicit: Quod in die iudicij futurum est omnibus, hoc in singulis in die mortis impleri. Num uero Christus corpore suo in cruce pendens appareat morientibus, quod uoluit Innocentius, nōdum in scripturis memini me inuenisse. unde nec reijcio, nec ut certum accipio. satis est Christū omnes homines mortis tēpore, uel cælo adiudicare, uel inferis, uel purgatorio. Verum est enim quod aperte dixit Christus apud Lucā, se uenire ad cuiuslibet hominis mortē: Beati serui illi, quos cū uenerit dominus, inuenit uigilantes. Et uos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet. Et hoc communi fit cursu legis diuinę, neꝑ multum refragor, Christum posse nonnunquam ex causa differre iudicium, sicut de morte sancti Hieronymi in quadam ad Augustinū epistola refert **Cyrl.** Cyrillus, ubi talis exoriebatur hęcresis, animas sanctorū non esse beatas, nec in cælo ante diem iudicij nouissimi,



(sicut nunc quoque hæresim istam satis sopitam, ex ipsis usque cineribus excitare rursus non uerentur) nec aliquod esse purgatorium. Ibi sane sanctus Hieronymus suo discipulo apparuit Eusebio, eidemque commisit corpora mortuorum tria ponere in Bethleem iuxta suum sepulchrum, & sibi cilicium, quo usus dum uiueret, erat sanctus Hieronymus, in tota concilii congregatione ponere super illa, ut sic reuiuiscerent, & quod uerum esset, ipsique adeo demortui uidissent & experti essent, edicerent, unde tandem hæresis ista refelleretur. Quod & factum est, cum enim reuixissent, Cyrillus eos coram populo uniuerso interrogauit, quomodo se res cum animabus haberet mortuorum. Vbi statim ex illis unus respondit: Anima mea cum primum à corpore est separata, in momento præsentata est deo iudici, ubi peccata mea omnia, quæ unquam per omnem uitam commisi, sunt manifestata. ibi statim immensa astitit dæmonum nos accusantium turba, declarantium etiam tempora, loca & species peccatorum, ut iam negare non poteramus, agnoscentes iustissimum illum iudicem, quem nihil latet. Cumque iam proferenda esset sententia, interuenit sanctus Hieronymus, petens ut sententia iudicij paulum prorogaretur, quod cum factum esset, tres illi cum penitentiam egissent diebus uiginti, tandem cum Eusebio rursus mortui sunt, sicut ei in principio sanctus Hieronymus reuelauerat. Prolixior quidem hæc est historia, sed eam in pauca contraxi. & licet non soleam multas extra bibliam recensere historias, tamen cum tanti patres sanctissimi que uiri aliquid factum esse designant merito credendum est illis. Deoque tamen omnis danda gloria, cuius nōdum abbreviata est manus. Quod si autem solidam certamque ethnicis mundanisque historiographis fidē damus, ut Luiuio, Salustio, Iustino, Quinto Curtio &c qua tandem fronte, quæ ue impudētia sanctis patribus credere recusabimus, historiam quæ ad fidē nostram pertinet, scribentibus? Nec est quod suspicaris Cyrillum rem tantā, nisi ita esset planē, Augustino scribere uoluisse. Neque uero multum absimile est, quod in origi-  
*Historia de purga.*  
*Isaie. 59.*  
*Ex histo- ria Car- thusien.*  
 doctōr dum ad sepulturā ferebatur mortuus, clamauit: Ac-



cusatus sum coram iusto dei iudicio. Ibiq; cum esset consultatum, phererrum cum cadauere relictum in diem est posterum, quo rursus clamauit, Iusto dei sum iudicatus iudicio. Tertio tandem die inclamauit iterum: Iusto dei iudicio sum codemnatus. Vbi iudicium non statim homini illi aduenit mortuo, ex causa, quoniam per hoc factū deus sanctum instituere uolebat Carthusianorum ordinem. Omnis itaq; homo hodie diligenter recolat diem obitus sui, eoq; quam duram subiturus sit prouinciam, cum hac ipsa hora anima sua a proprio angelo in faciē adducetur iustissimi iudicis Iesu Christi, ut ibi pro meritis suis cōdigna recipiat. Ecce enim ex uniuerso hoc mūdo nec bona, nec honores, nec amici, nec liberi hominē ad tribunal illud comitabuntur, sed tantum eius opera.

*Eccles. ii.*

Et quocunq; ceciderit lignum, ibi iacebit, siue ad austrū, siue ad aquilonem, inquit Sapiens. Quid porro in hoc iudicio sanctus Michael sit factururus, in illius dicam festiuitate. Deus & dominus noster gratiam nobis suam concedat, ut angelus noster in hora mortis nostræ nos cū gaudio offerat iudicio illi diuino, unde gaudia tandem sanctorum acquiramus æterna. Amen.

*Matt. ii*

¶ Nunc deniq; ad textum ueniamus euangelij, ubi inquit Matthæus: Abeuntibus illis, internuncijs nimirum Iohannis, cœpit Iesus dicere ad turbas de Iohanne. Eius q; sermonis rationem geminam reperio: Alteram, quoniam Christus Iohannem cœpit laudare post abitum suorum tandem discipulorum, ne in suspicionem populū ueniret, & ab eodem pro assentatore haberetur, quasi qui in gratiam discipulorū Iohānis, magistrū eorū uoluisset laudare Iohannē. Illis itaq; iam ab eo digressis, Iohannē demum laudare cœpit: unde nos quoq; docemur eos qui laude digni sunt laudare, sicut præter hoc Christi exemplum Sapientis quoq; monemur cōsilio, dicentis: Laudemus uiros gloriosos, sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet ecclesia &c. Sed & totum illud caput eō uergit, ut uiros honestos honore & laude afficiamus, ut iam merito Christus Iohannē ueluti uiuum quoddam honestatis exemplum laudare uoluerit. Alteram uero causam Chrysostronus insinuat. Quod enim

*Ecc. 4.4.*

*Chrysostr.*



ad legatos attinebat Iohannis, illi iam uel ex solis Christi miraculis certi erāt, Christum esse Messiam illum qui uenturus erat: plebs autem ignara quo animo quōve cō filio Iohannes Christū per discipulos interrogasset, cogitare poterat, Iohannem de Christo dubitasse, instabilem item fuisse, nec in priori perseuerasse testimonio, quod roties Christo dederat: hanc nimirum suspicionem ut Christus ex corde populi euelleret, cepit Iohannē laudare, sicut iam explicabimus. Neque enim sibi, sed discipulis suis Iohannes interrogauerat, inquit Hieronymus. Et hac ipsa laude Iohannis, declarat Christus se Iohannē non intellexisse, cum de scandalo loqueretur, beatū prædicans, qui non foret scandalizatus in se, quæ sane sententia est Hilarij, ut sic Christus utrorumq; corda uno inspererit intuitu, discipulorum Iohannis, qui se non illum credebant uenturū, & populi, qui ex interrogatione Iohannem insimulare poterat dubitationis.

Hierony.

Hilarius

Matth. 22

2. ¶ Quod uero ad Iohannis laudem pertinet, Christus cum laudaturus, a persona statim orditur audientium, quod nimirum est scopum tangere, & ait: Quid existis in desertum uidere? harundinem uento agitatum? Obseruandum est quod hic Christus Iohannem ex quatuor rebus commendat, quod quidem hodiernum habeat euangeliū. nam quinta laus alibi continetur. Principio a constantia, quod uir esset constans, quo minus suspicere populus posset Iohannem in Christo dubitasse, cui tam certum iam antea dedisset testimonium. Certe enim si instabilis fuisset, nec ipse sibi cōstitisset, sed magis instar harundinis uento agitatae, huc illuc impulsus fuisset, non sane tantus eum populus in desertum usq; sequutus semper fuisset, omnibus itaq; secundum Chryostomum modis uoluit Christus, ne plebs Iohannem alicuius insimularet leuitatis, cum propter ueritatem & iustitiam capite tandem sit plexus. Et harundinem quidem designare instabilitatem, uel ex ipsa Regum docemur historia, cū Abi- as diceret ad uxorem Ieroboam: Percutiet dñs deus Israël domum Ieroboam, sicut moueri solet harundo in aqua. Volebat itaq; Christus Iohannem harundinem nō esse, nec inconstantem, quod ipsi ex discipulorum pote-

Præ laus  
Iohannis

Chrystost.

Marci. 6.

3. Reg. 14.



- rant interrogatione colligere: unde hanc quaestione[m] Christi pro negatione accipi decet, quasi diceret, Non, Iohannes harundo non est. 2. Ab austeritate deinde uitæ durissima Iohannem Christus collaudat, dicens: Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt. Hoc eo dixit Christus, inquit Hieronymus, quod cogitare poterant Iohannem ambitionis gratia e priori testimonio cadere in dubitationem. Id ut reuiceret Christus, iterum cum negatione interrogat, sicut de harundine. Vir huiusmodi qui honores appetit & uoluptatibus inhiat, nõ de ferta sectatur, sed magis opus habet ut bene uestitus nitædas sequatur aulas. Atqui Iohannes hoc non fecit. neque enim uos eum in aulis, sed deserto quæ siuistis. unde & hac de causa non potuit ille a priori deficere testimonio. De uestitu autem Iohannis Matthæus clare testatur cum habuisse uestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: escam quoque illi fuisse locustas & mel syluestre. Qui sane uestitus tãto fuisse homine dignissimus, de quo sic locutus fuerat angelus domini, Præibit ante illum (Christum nempe) in spiritu & uirtute Eliæ, ad præparandam domino plebem perfectam. Namque & de Elia legimus in libris Regum, interrogasse regem Ochoziam. Cuius figuræ & habitus est uir ille, qui occurrit uobis, & locutus est uerba hæc? At illi dixerunt, Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait, Elias Thebites est. Merito itaque Christum præcessit Iohannes ut in spiritu, ita & in uestitu Eliæ, sanctus Gregorius in homilia hodierna docere nos Christum ait, neminem existimare debere in luxu atque studio preciosarum uestiũ peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Iohannem dominus de uestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus apostolus per epistolam fœminas a preciosarum uestiũ appetitu cõpesceret, dicens: Non in ueste precisa. Cuiusmodi nimirum habitu uestiebas diues iste, quæ quotidie purpura indutum fuisse & bysso Evangelica testatur historia. Quãdo ante splendor ille uestiũ peccato tribuatur & imputetur, quãdo non, & amplior est pertractatio, & huc quoque parum
- 2. Ioh. 1.**
- Hierony.**
- Chryso.**
- Matth. 3**
- Luce. 1.**
- 4. Reg. 1.**
- Gregori.**
- 1. Petri. 5.**
- Luce. 16.**
- Li. 4. de doctrina Christiana.**



pertinet. Quis in hac re quoque & similibus, notabilis est regula quã dat Augustin⁹: In oibus inquiring, talibus nõ usus rex, sed libido metis in culpa est. Hieronym⁹ quoque hic ostēdi docet rigidã uitã & austerã, predicatorẽ uirare debere aulas regũ, & mollia hoim palatia declinare.

3. ¶ Quum iam satis iſſe duab⁹ quæſtionibus Iohannẽ excuſaſſet Chriſtus, quia nõ decidiffet à ueritate, quum & constantiffimus, & uitæ quæ eſſet aſperriamã, nũc ex duobus adhuc eũ cõmendat, ut eo minus cogitare poſſet populus Iohannem de Chriſto dubitaſſe. Iohannis enim in reſſectũ plusquẽ prophetæ: oĩ m prædicat fuiſſe illuminatum, & ait: Sed quid exiſtis uidere? prophetã? Etiam dico uobis, & plusquẽ prophetam. In hoc nãquẽ prophetis oibus fuit Iohannes excellentior, quod digito etiã oſtēdit præſentem, quẽ illi prædixerunt eſſe uenturũ, inquit Hieronymus. dicebat etem: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Et ppheta quidẽ miniſteriũ eſt, uẽtura prædicere, nõ etiam demonſtrare, quod Iohannes fecerat, ut Gregorius ait, Præterea ultra omne munus propheticũ, Iohannes miniſteriũ quoque habuit Meſſiam baptizandi. Quam uis Chryſoſtomus arbitrat Iohannem eo etiã fuiſſe prophetis maiorem, quo Chriſto fuit propinquior, ſicut qui regi aſtant, eũque ſequunt proximi, nobiliſſimi iudicãtur. Et tñ quomodo Iohannes & ppheta ſit, & plusquẽ propheta, & etiã nõ ppheta, dicemus quarta dñica Aduẽtus.

4. ¶ Angelum nũc quẽ uocat Iohannẽ Chriſtus, oſtendens officiũ illius ſcriptis etiã prophetis: Hic ẽ de quẽ ſcriptũ eſt, ecce ego mitto angelũ meũ ante faciẽ tuã. Angelus quidẽ appellatur Iohannes, nõ natura, ſed dignitate officiũ, inquit Hieroni. ἀγγελος eĩdem quod nuncius eſt, quẽ deus ipſe miſit añ faciẽ Chriſti præparare uias eius. Et hũc ſane de⁹ miſit añ Chriſtũ in adnũciatiõẽ, quũ ſex ſeptimanis añ ſit adnũciat⁹ Zachariẽ, quẽ Chriſt⁹ Mariẽ. Miſſus deinde añ Chriſtũ ẽ & ĩ natiuitate, quã Iohãnes æſtate, Chriſt⁹ demũ hyeme nat⁹ ẽ. Miſſus etiã in morte añ Chriſtũ ẽ ad limbũ patrũ. Chriſto em̃ magna miracula operãte, Herodes dixit pueris ſuis: Hic eſt Iohannes baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis. Quod quum audiſſet Ieſus, ſeceſſit in locum deſertum ſeoriſum, Quibus porro modis Chriſto

3. laus.

Hierony.  
Iohan. i.

Gregori⁹

Chryſoſt.

Lucę. i.

Matt. i. 4.



Iohannes præparauerit uiam, luce clarius testantur Eu-  
 angelia. In præcipuis enim quatuor uiam ei parauit. Et  
 primum quidem testimonio suo quod illi exhibuit, uel  
 Joh. 1. 3. 5 Christo apud Iohannem idipsum confitente, quoniã de  
 se testimonium dederit. sed & Euangelista Iohannes ait  
 eum à deo missum, ut daret testimonium &c.

2. ¶ In baptismo. hic enim est qui primus baptizare  
 cœpit, hominesq; baptizare paulatim in consuetudinem  
 adduxit, ut ne deinceps baptismum Christi respuerent,  
 sicut & doctores omnes cõsentiant, & ipsa Iohannis uer-  
 ba hinc non dissentiant, apud Matthæum sic inquitur:  
 Matth. 3. Ego baptizo uos in aqua in pœnitentiam. Qui autẽ post  
 me uenturus est, fortior me est. ipse uos baptizabit in spi-  
 ritu sancto & igni.

3. ¶ In prædicatione pœnitentiæ. sicut enim prædi-  
 care cœpit Iohannes, pœnitentiam agite, appropinqua-  
 bit enim regnum cœlorum: ita & Christus cum audisset  
 Iohannem uinctum, uenit in Capharnaum, & ibi cœpit  
 Matth. 4. prædicare, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim re-  
 gnum cœlorum.

4. ¶ In confessione quoq; uiam Christo præparauit  
 Iohannes. Erat enim ut Marcus refert, in deserto bapti-  
 zans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissio-  
 nem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ  
 regio, & Hierosolymitæ uniuersi, & baptizabantur ab  
 illo in Iordanis flumine, cõfidentes peccata sua. Et quã-  
 uis plures paratæ uia modi possent induci, ijs tamen qua-  
 tuor nunc contenti sumus. Ex prioribus tamen & ijs q̄-  
 que quas nunc indicauimus rationibus & præcursor do-  
 mini dicitur, & stellæ confertur matutinæ, quæ solem  
 iamiam oriturum præcurrit. eodem enim modo & Io-  
 hannes ante solem illum ortus est iustitiæ. Deus optim<sup>9</sup>  
 maximus gratiam, uirtutem & fortitudinem nobis con-  
 cedat, ut & ipsi uiam hanc ingredi queam<sup>9</sup>, quam sanct<sup>9</sup>  
 Iohannes præparauit; tandemq; decurso huius uia & ui-  
 tæ spatio, introire mereamur gaudia salutis æternæ,  
 Amen.